

Paschal. Beda. Theophyl. Alb. Magnus. D. Thom. Tolct.

Idem etiam docent D. Paschasius, Beda, Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas. Vnde ait Toletus in cap. 9. Luc. annot. 85. quod hos tres Apostolos, tanquam capaciores, ad Transfigurationis mysterium videndum elegit Dominus.

271. Hilar.

Tertio. D. Hilarius. Silentium, ait, etiam rerum gestarum, quas viderant, imperat, ut cum essent Spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritualium res essent. Res ista valde ardua erat, & ante Spiritus sancti aduentum Discipuli erant adhuc infirmi, & parua auctoritatis, ut in re tanta eis fides adhiberetur; ideo fuit conueniens subterfieri vsque post Resurrectionem, & aduentum Spiritus sancti, quando iam Apostoli magnae auctoritatis facti essent.

272. Remigius.

Quarto. D. Remigius. Sine, ait, quia si maiestas illius divulgaretur in populo, populi impedirent dispensationem passionis eius, resistendo principibus sacerdotum, & sic redemptio humani generis retardaretur.

Christus non patitur, ut passio eius differatur.

Si Transfigurationis gloria fieret nota populo, per hoc Christus crederetur Deus; & sic populus impediret passionem eius, in quam ipse perficere intendebat, hacque de causa, postquam comminatus est Discipulis, ne cui dicerent, ipsum esse Christum, tanquam subdicens rationem ait Euangelista: Caput docere eos, quoniam oportet, filium hominis multa pati, & reprobari a senioribus. Marc. 8. n. 3.

Marc. 8. Euthym.

Quinto. E contra Euthymius ait, quod iubet visonem hanc ab illis occultari, ne Iudaei magis exasperentur. Cum tot magna de eo audirent, ob odium, quo ipsum persequebantur.

273. Damasc.

Sexto D. Damascenus apud Catenam in cap. 9. Luc. Hoc praecepit Dominus, ait, sciens Discipulos adhuc imperfectos, ne corda aliorum, qui non vident, subuerterentur tristitia. Et ne Proditor incitaretur ad inuidiam rabiem. In his sancti Patris verbis duo ponderanda. Et primo quod cum Christus vnuerfi Dominus, & Princeps paucis exhibet specialem fauorem, illam praecipit abscondi, ne ceteri Apostoli, qui neglecti, ac electi fuerunt, subuerterentur tristitia, neque eorum constantia in desperationis discrimen poneretur; nam paucorum approbatio, multorum reprobatio est. Secundo.

Principes speciales fauores abscondat.

Sciens Discipulos imperfectos, ne Proditor incitaretur ad inuidiam rabiem. Prohibet Dominus, tantam visionem euulgari inter alios Discipulos; erat enim ibi Iudas, ne inuidiae rabie accenderetur. Deinde sciebat diuinus Magister Discipulos adhuc imperfectos, ideo non permisit eos in inuidiae certamen descendere, quae imperfectos capit, & inficit. Vnde post Resurrectionem disponit mysterium publicari, quando iam Apostoli perfecti, diuino Spiritu communiti, omnem inuidiae morbum conculcabant.

Inuidia superat imperfectos, a perfectis superatur.

Septimo Thophylactus. Propter humilitatem denuntiat, nulli dicendum. Octauo Carthusianus. Hoc, scilicet tacere, Christus praecipit, ait, ut doceat, nos occultare propriam excellentiam, quousque in presenti viuimus saeculo. Et ideo ait, quousque filius hominis a mortuis resurgat.

274. Theophyl. Carthul.

Nono Lyranus. Praecipit eis Iesus, ait, ne visionem praedictam aliis divulgarent ante Resurrectionem suam, ne alij audientes, Christum eis apparuisse in forma gloriosa, scandalizarentur postea. Tantam maiestatis pompam silentio retineri disponit, quoadusque ipse Resurrectionis triumpho Thaboris glorias veras demonstrat: hominum enim est ingenium, non ex facto, sed ex persona rem considerari; vnde tantam gloriam a Christi humilitate alienam iudicarent: ne ergo Transfigurationis pompa scandalizarentur, dum illam in-

275. Lyranus.

credibilem aestimant, non dicatur quoadusque publicata Resurrectionis fama, testibus oculatis verissimam Thaboris gloria ostenderet, ac indicaret. Decimo. Ut visionem silentio tegant, imperat, ne alij, qui ad pedem montis relictii sunt, cum se viderent a tanta visione exclusos scandalizarentur: nam quamuis Christus Dominus ut ait D. Chrysol. secum in montem assumpserit meliores, tamen Discipuli, qui a Domino non fuerunt assumpti aegre, & dure ferrent, quod ad tantum spectaculum non essent electi. Vnusquisque enim se alius probitate meliorem, ac ad quodlibet negotium capaciozem, aptiorumque iudicat.

Opus, ac meritum, non ex facto, sed ex persona iudicatur.

credibilem aestimant, non dicatur quoadusque publicata Resurrectionis fama, testibus oculatis verissimam Thaboris gloria ostenderet, ac indicaret.

276.

Decimo. Ut visionem silentio tegant, imperat, ne alij, qui ad pedem montis relictii sunt, cum se viderent a tanta visione exclusos scandalizarentur: nam quamuis Christus Dominus ut ait D. Chrysol. secum in montem assumpserit meliores, tamen Discipuli, qui a Domino non fuerunt assumpti aegre, & dure ferrent, quod ad tantum spectaculum non essent electi. Vnusquisque enim se alius probitate meliorem, ac ad quodlibet negotium capaciozem, aptiorumque iudicat.

Chrysol. Quilibet de se praeiudicet esse meliorem.

De se ait Sponsa: Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Cantic. 1. n. 3. Vltima verba maxime ponderanda. Cur non ait, Omnes diligunt te, quod maius encomium videri poterat? Cur ergo ait, Recti, seu perfecti diligunt te? Virtutes sanctae animae ad speciales fauores obtinendos, Introduxit me Rex in cellaria sua, illiusque diligentiam, ac sedulitatem, ut Sponsam sequeretur, utque post ipsum curreret, non omnes agnoscebant, sed solum recti, ac perfecti: nam imperfecti praee inuidia illa non aspiciabant, sed in his omnibus eam praecedere autumabant. Quod autem ipsa sola amplissimo munere fulgeret, ut tantum esset introducta, illis detrahendi erat occasio, tantum si eorum locus ab illa esset ablati.

277. Cantico. 1.

D. Bernard. serm. 24. in Cantica. Recti diligunt te, ait, puo propter aliquas de numero ipsarum, quae non id saperent, licet pariter currere viderentur, quae sua sunt querentes, & non ambulantes simpliciter, neque sincere, sed specialis gloriae matris inuidentes, & captantes occasionem murmurandi aduersus eam, ex eo nimirum, quod sola in cellaria introisset.

Imperfectum excellentiam alterius non videt.

Bernard.

QUESTIO XXXIV.

Quare Moyses asportat gloriam in vultu de Sinai; non vero Apostoli de Thabor?

RESPONDIT Moyses in monte loquens cum Deo in gloria sua, Cumq; descenderet de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei. Exod. 34. n. 29. At Apostoli in Thabor vident gloriam, & nihil illius maiestatis praefecerunt. Cur in vultu Moysis est monte descendentis nitent splendoris radij; non vero in facie Apostolorum.

278. Ezod. 34.

Ratio diffcultati.

Recte respondet D. Remigius 2. ad Corinth. cap. 3. Gloria Euangelij, quae datur ministratoribus, & obseruatoribus eius, maior est gloria Legis, quae splenduit in facie Moysis, quia fuit temporalis, & quocumque fieri potuit, & videri ab illis: ista autem aeterna erit; nec potuit ferri ab Apostolis, quando a Domino ostensa est in monte, quae statim lapsi sunt in terra velut mortui. Legis gloria, cum esse valde exigua, ab vno homine in vultu ferri valebat; & inde facies Moysis nitet; Iesus autem gloria tam magna, & ampla, ut nec a tribus Apostolis ad breue sustineri possit; indéque tanto oneri succumbunt, in faciem cadentes.

279. Remig.

Videt Isaias 6. num. 1. Dominum sedentem super solium excelsum, seu super thronum. Postea vero Ioannes Apocal. 7. n. 9. ait: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palma in manibus

280. Isaias 6. Apocal. 7.

Gloria Legis exigua; Christi vero valde ampla.

Gloria Legis ad unum; Christi gloria ad omnes.

manibus eorum. Cur antiquitus ante thronum vnus tantum astat; modo vero tam ingens multitudo, vel supputari non valeat? Gloria, quae in Lege Veteri apparebat, valde pusilla; ut in vno terminaretur: at gloria, quae est a vero Agno Iesu Christo, tam ampla, ut ad vnum tantum populum, vel tribum extendatur, sed etiam ad omnes nationes, ad omnemque hominum multitudinem, ut a nemine numerari possit. Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium. Superabundat Christi gratia. Olim vnus assumitur, ut sedit ante thronum; modo vero turba magna, quae dinumerari non potest, de qua Dauid aiebat. Enumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Psalm. 198. qui profuso sanguine stolas suas in sanguine Agni dealbauerunt.

Marius Vict.

Psalm. 198.



CAPVT IX.

Prosequitur reliqua pars cap. 17. Matthaei.

Elias, & Ioannes.

Matth. 17. Et interrogauerunt eum num. 10. Discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oportet primum venire?

Num. 11. At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est & restituet omnia.

VERSIO NES.

Gracius n. 11. Elias veniet. Syriacus. Ilyo venturus est prius, ut omnia restituat. Arabicus. Elias venturus est, & docebit vos omnia. Arias. Instaurabit omnia.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. n. 10. Et interrogabant eum dicentes, quid ergo dicunt Pharisei, & Scribae, quia Eliam oportet venire primum?

Num. 11. Qui respondens ait illis: Elias cum venerit, primum restituet omnia.

EXPOSITIO I.

I. Interrogauerunt eum. Illa coniunctio Et, connectit haec cum superioribus Descendentibus illis, & c. ac proinde in ipso montis descensu, antequam ad ceteros Apostolos, ac reliquam turbam deuenissent, ut patet infra ex n. 14. Cum venisset ad turbam. Tres illi Apostoli, qui adfuerunt in Transfiguratione, interrogant. Quid ergo Scribae dicunt. Marcus habet, Pharisei, & Scribae: nam Scribae, tanquam doctores, tractabant de Legis doctrina; Pharisei de religione; ut hic Sylueira in Euang. Tom. IV.

I.



Interrogauerunt eum. Illa coniunctio Et, connectit haec cum superioribus Descendentibus illis, & c. ac proinde in ipso montis descensu, antequam ad ceteros Apostolos, ac reliquam turbam deuenissent, ut patet infra ex n. 14. Cum venisset ad turbam. Tres illi Apostoli, qui adfuerunt in Transfiguratione, interrogant. Quid ergo Scribae dicunt. Marcus habet, Pharisei, & Scribae: nam Scribae, tanquam doctores, tractabant de Legis doctrina; Pharisei de religione; ut hic Sylueira in Euang. Tom. IV.

aduertit Abulensis q. 130. Et cum Apostoli essent homines piscatores, non quarunt ex se, sed ex communi opinione vulgi, quae a Scribis, & Phariseis diuulgabatur.

Abulens.

Eliam oportet primum venire. Occasio interrogationis extitit: A Scribis intellexerant Apostoli, iuxta Malachiam 4. n. 6. quod Elias esset venturus ante Messiam aduentum, Ab ipso vero Elia, & Moyses audierant in monte, Iesu veri Messiae passionem, & mortem imminere, Dicebant excessum, quem, completurus erat in Ierusalem. Viderantque, Eliam recessisse, & abiisse. Vnde non intelligebant, quomodo Eliam tunc esset venturus; propterea quarunt, quomodo haec cohæreant: Ita D. Hieron. D. Paschal. Beda, Caietan. Iansen.

2.

Malach. 4.

Hieron. Paschal. Beda. Caietan. Iansen.

Duplicem Christi aduentum expressum in Scriptura; vnum in carne, qui iam praecessit; alterum in gloria, qui futurus est, postquam adueniet Elias, malitiose Iudaei confundebant. Huic dubitationi, vt ait D. Thomas, occurrit Dominus, primo tangens aduentum futurum, deinde praeteritum, & iam suum in carne.

D. Thom.

At ille respondens, ait eis: Elias, in propria scilicet persona venturus est, seu, vt habet Graecus, veniet, ante aduentum filij Dei ad iudicandum in fine saeculi, vt expressè prophetat Malachias 4. n. 5.

3.

Græcus.

Miriam vobis Eliam prophetam, antequam veniat, dies Domini magnus, & horribilis, id est dies filij Dei, auctoritate a Patre accepta ad iudicandum Orbem terrarum in iustitia, Et restituet omnia, seu, instaurabit, seu, vt habet Syriacus, ad textum Marc. Recuperabit omnia, cum vnuerfum Iherusalem adducet ad fidem Christi veri Messiae, qui eorum patribus romissus fuit; de quo quaest. seq.

Malach. 4.

Syriacus.

QUESTIO I.

Quomodo dicat, quod Elias restituet omnia?

RESPONDET primo D. Chrysol. homil. 58. Restituet omnia, id est incredulitatem Iudaeorum, qui tunc erunt reserui, ad fidem conuertet. Sicque exponunt D. Hilar. Euthy. Theoph. D. Paschal. lib. 8. in Matth. D. Anselm. D. Thom. & alij. Elias, cum venerit ante vltimum aduentum filij Dei in fine saeculi ad praedicandum, omnes Iudaeos, quos tunc inuenerit, ad fidem conuertet. In hisque duabus vocibus Restituet omnia exponit Saluator id, quod Malachias 4. num. 6. dixerat, Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Septuaginta translulerunt, Restituet cor patrum ad filios. Efficiet enim Elias sua praedicatione, vt Iudaei suos antiquos Patriarchas imitentur, qui sicut hi crediderunt in Christum venturum, eumque summe amarunt; sic & ipsi Iudaei, qui tunc erunt, credant, & summe ament Christum iam praeteritum, qui pro eorum salute iam in carne venit, ac mortuus est. Et ita cor patrum, a filiis obliuiscitis ante auctum, ad eos iam credentes restituet, & conuertet.

4.

Chrysol. Hilar. Euthymius. Theophyl. Paschal. Anselm. D. Thom.

Malach. 4.

Septuag.

Secundo. Origenes explicat de debito mortis. Restituet, quia si aliquis debet, quod non soluit, debet restituere; sed quilibet est debitor mortis; & quia Elias nondum est mortuus, cum veniat, restituet omnia, id est soluet, ac reddet moriendo debitum mortis. In eadem sententia est D. Augustinus citandus. Haec tamen potius pertinet ad sensum moralem, quam litteralem: nam restituere omnia plus denotat, quam restituere debitum mortis; proindeque iuxta Malachiae prophetiam est exponendum, vt dixi in superiori sententia.

5.

Origenes.

August.

